NICOLAUS DE LYRA

Salzburg/Bayern, um 1450

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8378
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

intribu matris sed matris quia genalogia hominum non accipitur per matres sed per patres et ex hoc sequebatur quod in anno quinquagesimo in quo hereditates debebant reverti ad primos possessores quia non poterant vendi vel alienari ultra illud terminum quantum ad hereditatem predictam non tenentur et sic sequetur sorcium confusio ex tali translacione de parte hereditatis unius tribus translata ad aliam quod est contra preceptum domini ut hic et leuitici xxvij habetur. Audit moyses hic ponitur responsio moysi ex auctoritate domini videlicet quod ad euitandum inconueniens predicte filie salpheat non possent contrahere matrimonium non cum hominibus sue tribus et sic hereditas earum non transibat ad aliam tribum et eodem principio de aliis mulieribus habentibus hereditatem et hoc patet per illud quod subditur. Cuncte femine maritos de eadem tribu accipient. In hebreo habetur sic. Omnis filia que hereditabit hereditatem viri de cognacione patris sui erit uxor. Ex quo videtur quod illud preceptum non cadat nisi super mulieres succedentes in hereditate ut dicunt aliqui sed contrarium videtur per illud quod in textu dicitur. Omnes enim viri ducent uxores de cognacione sua. Ex quo videtur quod non poterat accipere mulieres de alia eciam hereditatem non habentes nec per consequens ille poterat contrahere cum viris alterius tribus. Unde et eadem racio huius assignatur ex utraque parte tam viri quam mulieris sed illa in principio tribuum. Unde subditur. Nec sibi misceantur tribus. Sed ita maneat ut a domino separate sunt. Dyspensatum tamen fuit quod tribus sacerdotalis et regia possent commisceri per matrimonium. Tum propter nobilitatem utriusque tribus, tum ut reges per sacerdotes familiaritatem cum eis habentes in vero cultu dei tenentur, tum eciam ut per hoc pax in quantum possibile magis servaretur. Feceruntque filie salpheat hic consequenter ponitur predicte responsionis execucio et patet littera. Hec mandata sunt. Hec est conclusio libri habetur secundum que predicta sunt mandata quantum ad moralia et cerimonialia atque iudicia ad iudicialia etc.

Deo gracias

Sequitur liber Deuteronomij etc.